



G H W

1 6 2 4



Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia
sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-
teria Physica et Sensibili, quorum singulas singula etiam convenit Discipline:
1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-
hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,
et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata
et universaliter secundum rationem; quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia
eodem respectu sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione
sua ad omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,
sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-
tractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae
fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-
prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserantur, et saltem
ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-
cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,
nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus est, quem Metaphy-
sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-
plinam ipsam: alia a. mediate et per accidens, et propter disciplinas
alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K^o
W^o F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~

15

DISPUTATIONUM
METAPHYSICARUM
DECIMA QUARTA,
De
EODEM & DIVERSO,
Itemq;
DE DISTINCTIONE, OPPO-
SITIONE, SUBORDINATIONE
& SUBALTERNATIONE,

Pro qua

D. O. M. A.

*Consensu Amplissima Facultatis Philosophicae
in incluta*

WITTEBERGENSIUM ACADEMIA

Sub PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII,

Croppenstädensis Saxonis, Facult. Philosoph.

Adjuncti,

Publicè respondebit

JOHANNES Hülfeman / Frisius.

Ad diem 8. Novembr. horis matut.

in auditorio minore.



WITTEBERGÆ,

Ex Typographico CHRISTIANI THAM,

Acad. Typogr.

ANNO M DC XXIII.

DE...
M...
M...

...

...

...

11

...

...





DISPUTATIONIS METAPHYSICÆ
DECIMÆ QUARTÆ
CONTINUATIO.



Affectiones entis disjunctas supra fecimus duplices: *Immediatas* scilicet & *Mediatas*. Illa, ut aliàs *primæ* dicuntur, eò quod primò & proximè ex essentia rei resultent; sic quoq; meritissimè *priora precedentium disputationum sedilia* sibi vendicârunt. *Mediata* ergò, quæ aliàs etiam *Orta* dicuntur, recto ordine nunc succedunt. Dicuntur autem *Mediata* exinde, quia *mediante aliquâ entis affectione*, tamquam fundamento interveniente, insunt enti, eiq; secundum illam conveniunt. Et *harum passionum entis fundamentum dicuntur affectiones unitæ* entis & simplices, quales erant *Unitas, Veritas, Bonitas*, scilicet, cum respectu ad affectionem aliquam unitam, de ente, dicuntur, si non semper tantùm, tamen quàm maximè & potissimùm, vel simul in respectu ad aliam immediatam entis passionem.

Sunt verò ejusmodi entis affectiones mediata pro ratione unitarum affectionum variæ & multiplices: *quædam insequuntur ens prout est unum, quædam prout est verum, quædam deniq; prout est bonum*. Ex unitate entis oriuntur *Identitas & Diversitas*; Simplicitas & Compositio: Totalitas & Partialitas: Universalitas & Singularitas, indeq; Communicabilitas & Incommunicabilitas. Ex *Veritate* derivatur Naturalitas vel Artificialitas entis; Mensura & Mensuratum. Ex *Bonitate* entis propullulant Perfectum & Imperfectum: Completum & Incompletum, Absolutum & Respectivum, Permanens & Successivum. De quibus omnibus ordine nunc restat, ut porrò in Disputationibus nostris Metaphysicis, quantum fieri potest, perspicuè agamus. Primò quidem illa *attributa entis mediata* veniunt evolvenda, quibus *ens ratione unitatis denominatur idem aut Diversum*, Simplex aut Compositum, Totum aut Pars, Universale aut Singulare, & deniq; Communicabile aut Incommunicabile. Quæ omnia ut distinctè proponantur & explicentur, præsentis Disputatione cum Bono Deo acturi sumus de *Identitate & Diversitate*, deq; iis modis, qui Diversitatem solent concomitari; nempe de natura *Distinctionis, Oppositionis, Subordinationis & Subalternationis*.

Sit itaq;

A 2

THESIS

T H E S I S I.

IDENTITAS. **I**dem ergò sive *Identitas* originem suam accipit ab *Unitate*,
 ut & *Diversitas* ab ejus obposito, *Multitudine*: vel *Diver-*
sium deducitur ab *Uno*, quatenus infert *divisionem* ab alio.
 Scilicet sicut *Identitas* explicatur per *indivisionem Unius*, ut-
 pote hominis & bestiae in esse animalis: ita *Diversitas* & *di-*
stinctio rerum radicatur in *divisione Unius ab alio*. Nam quæ
 diversa sunt, multa sunt, & quæ multa sunt, inter se diversa
 sunt & dicuntur. Dn. Jac. Mart. in prælect. *Metaph. publ.* o-
 lim factis. Scheib. lib. 1. *Metaph. cap. 8.*

quæ ab Unitate dif-
ferat.

1.

2.

3.

Idem sumit

fundamentaliter
negativè

II. Interim non putetur ac si *Identitas* prorsum coinci-
 dat cum *Unitate*. Illa namq; triplici modo potissimum dif-
 fert ab *Uno*. 1. *Unum est affectio entis absoluta & simplex*, quæ
 enti absolutè considerato competit: quippe remotis omni-
 bus aliis dicitur quid *Unum*. Sed *Identitas est membrum dis-*
juncta affectionis & respectivum quid. 2. *Idem est negatio di-*
stinctionis: at Unum est negatio divisionis. 3. *Unum designat ne-*
gationem divisionis IN SE; idem notat negationem divisionis
A SE.

III. Quod ut intelligas, attendes idem accipi vel *fun-*
damentaliter & negativè, vel *formaliter & relativè*. *Idem ne-*
gativè sive fundamentaliter acceptum dicitur, quod non est ab
 alio *diversum seu distinctum*, quo modo non multum ab *Uno*
 differt, nisi quod *Unum* dicat *indivisionem in se*; idem verò
indivisionem sive negationem divisionis à se; hoc est ab eo,
 quod cum ente idem esse dicitur. Atq; hoc est, quod *Arist.*
innuit lib. 5. Metaph. cap. 9. ubi ait: *Identitatem esse unitatem,*
quamdam ipsius esse. Hoc sensu etiam aliquid sibi ipsi idem
 esse potest, quia non est *diversum vel divisum à seipso*. Unde
 & idem *fundamentaliter sumtum explicari solet in illa identi-*
tate, quæ quid sibi idem dicitur. Si enim hæc relativè sumere-
 tur, tantum erit *relatio rationis*, juxta illud Philosophorum;
 quod ad seipsum nulla detur *relatio realis*, cum semper in reali
 relatio-

relatione detur realis obpositio, qua nequit esse ejusdem ad se-
ipsum. Non igitur idem dicitur ad seipsum, quasi intercede-
ret habitudo ejusmodi in ipsa re, sed tantum quatenus ab in-
tellectu ita concipitur seu comparatur.

IV. Idem relative & formaliter sumtum, importat ali-
quem respectum & relationem, in qua maxime distinguitur
ab illo: non quidem reipsa, sed per superadditum respectum,
quatenus id, quod est unum in se, cum respectu quodam di-
citur & sumitur vel ejusdem ad seipsum, quod sibi idem sit, vel
quoad aliud quatenus plura inter se identitatem habent. Et hæc
respectiva identitatis acceptio est hujus loci, adeo q; sub illa
nunc agemus de Eodem.

V. Præterea vox identitatis (prou formaliter & positi-
vè accipitur, cum relatione ad id, cum quo habet conveni-
entiam & identitatem) sumitur vel specialiter, vel latius &
generaliter. Idem specialiter sumtum significat identitatem
seu convenientiam in tertio ESSENTIALI. Sic Arist. 5. Metaph.
c. 9. ait: Quorum materia una est, aut quæ sunt unum specie
vel numero, hæc tautæ (eadem) dicuntur, & quorum scia una.
Hoc sensu dicitur: Similia non esse tautæ sive eadem.

VI. Latius verò identitas & generaliter accipitur pro o-
mniconvenientia in tertio aliquo, sive id sit essenziale sive
non. Sic Arist. 10. Metaph. cap. 3. ait: Similia esse tautæ. Hoc sen-
su identitas sub se continet equalitatem & similitudinem.
Illa saltem notat convenientiam plurium in certâ quantita-
te, ut & similitudo qualitatum est. Sed identitas pervagatur
omnia prædicamenta, & tribuitur rebus omnium prædica-
mentorum; quippe attenditur convenientia respectu ad esse.

VII. Hinc ergo IDENTITAS IN GENERE definitur,
quod sit affectio entis, sub qua entia in quopiam conveniunt. Ex-
pressius ita: Idem sive identitas est modus entis, quo sub sta-
tu convenientiæ vel res refertur ad seipsam, vel res refertur
ad rem, vel realitas ad realitatem, vel realitas ad rem sive

2. falsè relative
positivè

ubi

sumit

2. Arist. 5. Metaph.
c. 9. ait: Quorum materia una est, aut quæ sunt unum specie
vel numero, hæc tautæ (eadem) dicuntur, & quorum scia una.

2. latius & de fin
pli in 3to essentia
e

1. quantitatis

2. qualitatis

2. sic reliquos
convenit

quid?

essentiam, cuius respectu realitas dicitur. *Scheib. lib. 1. Metaph. cap. 8.* hanc addit descriptionem: *Identitas est convenientia sive unitas vel unio duorum, & similium in qualitate eadem, aequalium in quantitate eadem.*

e.
ratiomis.
P
to
VIII. Cæterum hæc identitas variè se habet in respectibus specificis & materialibus. Nam identitas dicitur vel rationis vel rei; ut *Combach. docet lib. 1. Metaph. cap. 22.* *IDENTITAS RATIONIS* est in iis, *in quibus extrema non sunt re ipsa diversa*, sed saltem ratione distinguuntur, eò, quod intellectus utatur eodem, ceu pluribus.

absoluta
IX. Hoc ipsum & Arist. videtur innuere, quando l. 4. Metaph. c. 9. ita docet: *Φανερόν, ὅτι ἡ ταυτότης ἐνόησις τίς ἐστὶ, ἢ πλείονων, ἢ ὅταν γρηται ὡς πλείοσιν*, aut cum ut pluribus utatur.

X. Alii istam identitatem rationis appellitant *ABSOLUTAM*, quæ est, secundum quam res dicitur eadem sibi ipsi sine ordine & respectu ad aliud, propterea scil. quod *eiusdem ad seipsum non sit propriè dicta relatio*. Aliàs ferè nihil aliud est, quàm identitas negativè & fundamentaliter sumpta, de qua thes. 3. dictum est.

ratiomis e
1. conceptæ
2. factæ.
XI. Adde verò, quod identitas rationis sit duplex, una rationis conceptæ, altera rationis factæ. *IDENTITAS RATIONIS CONCEPTÆ* modos realitatis complectitur, quatenus ut sunt ratione, ita idem esse concipiuntur. *IDENTITAS RATIONIS FACTÆ* est, quando fundamentum reale non est in re; intellectus tamen unum ut plura concipiens, relatione factâ idem ad seipsum refert. Et hæc propriè est illa absoluta & fundamentaliter dicta identitas.

rei
XII. *IDENTITAS REI* est *relativa, formaliter & positivè dicta identitas*, in qua extrema dantur diversa, etiamsi intellectus illam relationem, & consequenter identitatem non concipiat. Sic *inter hominem & leonem datur realis & essentialis similitudo* nemine cogitante, quatenus nimirum *utrumq; habet animam sentientem*, quam similitudinem si considero accuratius, logicum genus constituo, indeq; dico: *Homo & brutum sunt idem genere.* XIII.

XIII. Rectè hanc identitatem describit Combach. ita *Identitas relativa* est, secundum quam res dicitur eadem cum alia re, cum qua habet convenientiam.

XIV. Porro *identitas rei & relativa* est varia & multiplex. Combach. Metaph. c. 22. facit illam duplicem. vel enim, inquit, est à forma vel à subjecto. *Identitas RATIONE FORMÆ* tribuitur illis, qui de eadem forma participant (vel substanti- ali vel accidentali) quod rursus fieri potest duplici modo, *vel secundum rem integram, vel dumtaxat juxta gradum.*

XV. *Identitas formæ SECUNDUM REM INTEGRAM* est, quando forma tota est secundum essentiam similis, & sic eadem intelligitur. Hoc modo eadem sunt, quæ habent eandem formam specificam, ut Petrus, Paulus & reliqua individua humana sic idem dicuntur, quod eandem habeant animam rationalem, quâ in essentia & specie ultimò constituuntur. Et hæc identitas est secundum speciem.

XVI. *Identitas formæ QUOAD GRADUM* est in iis, quæ eodem conceptu formali communicant. Sic homo & leo non formâ eadem integrâ, sed eodem formæ gradu conveniunt, utpote conceptu generico animalis.

XVII. Hæc juxta Combach. ibid. est vel *generica* vel *specificæ*, vel *proportionalis*. Et fortè inde ortum est, quod Philosophis eadem dicatur vel *genere*, vel *specie*, vel *analogicè* & juxta proportionem. De quibus identitatis speciebus mox dicetur.

XVIII. *Identitas RATIONE SUBJECTI* est convenientia multorû essentiâ diversorû in uno subjecto. Sic *varia accidentia possunt esse unû, quæ sunt in uno subjecto*. Sic in Petro unû esse possunt consulem esse, patrem esse, civem esse, bibliop. esse, &c.

XIX. ita Comb. juxta dichotomias, & qui cum ipso hac in re faciunt, idētitatis species recensent. Nos brevius & planius ita putamus: *Identitas i. est vel Realis vel Essent. vel Supposital.*

XX. *IDENTITAS REALIS* est eorum, quorum unum non potest esse sine altero absq. contradictione, nisi forte causa externa accedat, nec unum respectu alterius sit originans, & alterum

alterum (ut barbarè loquuntur) *originatum*, nec sint in pluribus rebus realiter distinctis, quæ notæ conditionales benè notanda sunt, ne simpliciter ubiq; statuatur identitas realis, ubi unum nequit esse sine altero.

XXI. Identitas *ESSENTIALIS* est, quâ identificantur aliqua uni esse singulari, quod fit 1. quando identificantur essentia purissima, ita ut realiter differant inter se. Sic personæ divinitatis sunt eadem essentia & tamen realiter distinguuntur juxta orthodoxiam fidei. 2. quando concurrunt quædam intrinsece ad constituendam essentiam alicujus. Sic animal & rationale sunt idem essentialiter, quia sunt de essentia hominis.

XXII. Identitas *SUPPOSITALIS* dici potest illa, quâ quædam conveniunt in uno supposito, sive in una persona, ita ut constituent unum ὁμοειδῶν. Sic in ferro ignito unum idemq; sunt ratione suppositi ignis & ferrum. Sic inter naturas Christi intercedit identitas suppositalis (licet non essentialis) ex eo, quod juxta scripturam constituent unam personam.

XXIII. Deinde identitas est vel Numerica, vel Specifica, vel Generica. *Numerica* tribuitur illis, quæ unum numero sunt, hoc est, individuo uno. Sic unum idemq; numero sunt Plato juvenis & Plato senex; sic idem numero sunt Albi Dreidentis, Wittebergensis & Magdeburgensis. *Identitas specifica* datur in iis, quæ infimâ specie, hoc est, πρώτως ita dicta, conveniunt, & dicuntur ὁμοειδῆ. Sic Plato & Socrates sunt specie idem. *Identitas generica* est eorum, quæ genere conveniunt, dicuntur ὁμογενῆ sive conveniant genere proximo sive remoto. Sic homo & leo unum idemq; sunt genere; puta, in animali conveniunt.

XXIV. Tandem Identitas alia est causalis, alia effectiva, alia subjectiva. *Causalis Identitas* est, quâ entia duo vel plura conveniunt respectu causæ vel efficientis vel finis, vel mate-

materiae vel formae. Sic fratres identitatem habent ratione parentum. Studiosi identitatem ratione finis, nempe quoad cognitionem Philosophiae, Theologiae, Jurisprudentiae, &c.

XXV. *Effectiva identitas* est, quâ duo vel plura conveniunt respectu alicujus effecti. Sic datur identitas (& unitas) inter duos equos unum currum trahentes. *Subjectiva identitas* supra est explicata thes. 19. Est enim illa, quâ duo vel plura accidentia idem esse dicuntur subjecto, ut albedo, dulcedo, rotunditas, sunt idem in uno pomo.

XXVI. Haecenus de eodem, sequitur ejus membrum obpositum, quod est *Diversum* sive *Diversitas*. Rectè *Arist. 5. Metaph. cap. 9.* ait: *Diversum & idem oppositè dici.* Hic enim omnia dicuntur diversa, quæ non sunt idem, & illo sensu sive respectu, quo idem non sunt, diversa reputantur.

XXVII. Hinc *Diversum* propriè dicitur id, quod est aliud quid, & opposito planè modo se habet, atq; idem. Vel paulò accuratius ita describetur: *Diversitas est inter illa, quæ distincta sine contradictione aut esse aut concipi possunt, sive id fiat à solo intellectu, vel fundamento in re præsübposito.* Scilicet, hoc loco accipitur diversitas pro quavis varietate, quâ etiam aliquid à seipso differre dicitur.

XXVIII. *Diversa in genere duplicia sunt:* vel *Diversa tantum*, vel *Diversa & Differentia simul.* *DIVERSA TANTUM* dicuntur, quæ cum aliis non conveniunt *in genere univoco*, ut per illud ab aliis distinguantur. Aliis (ut Combach. & Scheibl.) vocantur *diversa strictè dicta*, quomodo obponantur *Differentibus*. Ista enim diversa strictè sumta dicuntur, quatenus plura ita se totis objectivè distinguuntur, ut nulla in re conveniant: non verò per aliquod sui distinguantur, ut differentia, e.g. *Summa decem genera sunt diversa tantum, sive diversa strictè sumta.* Etenim per integram essentiam distinguuntur se totis, non per aliquam differentiam, sive per aliquod sui. Sic Deus est diversus à creaturis. Sic ultimæ diffe-

B

rentiæ

rentiæ sunt diversa tantùm. Aliàs etiam dicuntur *primò diversa*, ut contradistinguantur differentibus.

XXIX. *Diversa DIFFERENTIA* suat, quorum est *commune genus*, sub quo differunt ab aliis, adeoq; semper per aliquid sui distinguuntur, veluti per differentias. Combach. ita definit: *Differentie sunt, quæ in uno conveniunt, & in alio differunt*. Sic homo & leo conveniunt in animali, & differunt formâ specificâ. Sic equus & canis conveniunt animali, & per illud differunt à plantis, lapidibus, &c.

XXX. Ita ergò se habet *natura Identitatis & Diversitatis*, quâ omne Ens per se denominatur vel Idem vel Diversum, ita ut hoc attributum complexum, genuinam entis affectionem disjunctam constituat.

XXXI. Postquam autem de Eodem & Diverso in se sumtis actum est, non sine causâ continuò solent agere de *Distinctione & Obpositione* rerum, item non rarò subjungunt doctrinam de *Subordinatione & Subalternatione*. Scilicet, insequuntur Identitatem & Diversitatem, adeoq; inde tamquam consequentia ex suo fonte meritò derivantur & dijudicantur.

XXXII. Quoad *Distinctionem* rectè docet Combach. *Metaph. cap. 22. Modi diversitatis gignunt distinctionem.*

XXXIII. *Distinctio* est plurium inter se differentia, inquit idem ibidem. completius ita: *Distinctio* est diversitas, qua res vel præter mentis nostræ operationem sunt sejunctæ; vel ab ipsa mente nostra rebus distinctio inprimitur.

XXXIV. Variè autem *distinctio* dividitur. Alii faciunt eam duplicem: *Realem & Rationis*, exinde, quia ens aliud est rationis, aliud reale. Sed perperam ita. *Non enim distinctionem metimur ex natura extremorum, sed ex habitudine extremorum inter se. Distinctio rationis non semper requirit extrema, quæ in se sunt entia rationis, sed saltem supponit aliquam denominationem rationis, qualis est subjecti & predicati.*
Suarez disp. Metaph. 7. sect. 1.

XXXV.

XXXV. Aliàs non nego, quòd distinctio benè dicatur vel Realis vel Rationis, quatenus diversitas rerum se habet vel secundum rem vel secundum rationem. Confer Exercit. Metaph. Dn. Jac. Mart.

XXXVI. Sed nos facilioris doctrinæ ergò distinctionem facimus triplicis generis, ita ut sit, vel *Realis*, vel *ex natura rei*, vel *Rationis*. Idem ferè volunt *Scotista*, quando generaliter dispescunt distinctionem in *Realem*, *Formalem* & *Rationis*. Etenim *Formalis distinctio*, ut mox apparebit, *juxta mentem Scoti*, est *media inter Realem & Rationis*, adeoq; penè coincidit cum illa, quam nos vocamus *ex natura rei*.

XXXVII. *Distinctio Realis* est diversitas rei à re, quæ in hoc consistit, ut una res non sit alia. Dn. Jac. Mart. Exerc. Metaph. 14. lib. 1. pag. 410. Hinc communis & vulgaris opinio, quod distinctio realis semper sit inter res & res diversas, hoc est, inter plura Entia à se invicem distincta.

XXXVIII. Verùm hîc cautè observandum puto, quod *Distinctio realis* non sit univocum quid, sed *Analogum*, indeq; sumatur vel *in rigore* & strictiore sensu, vel κατ' αναλογίαν. Priore modo definitur realis distinctio, & sic communiter dici solet, quod sit inter res & res diversas, nempe secundum ejus analogatum potissimum, & significatu famosiore. At verò κατ' αναλογίαν, quando explicatur *distinctio realis*, tum etiam datur inter modos diversos, & inter oppositas relationes, licet non semper sint distinctæ res, vel in distinctis diversisq; entibus. Sic Metaphysici statuunt, quod Actus & potentia differant realiter. Sic Necessarium & contingens distinguuntur realiter. Sic Genus & Species ut notiones secundæ realiter differunt, etiamsi sumantur in conceptu materiali eodem (v. g. in corpore) qui diversâ collatione dicatur genus vel species. Huc facit distinctio realis personarum divinarum, quæ realiter dicuntur distingui à se invicem ab orthodoxâ antiquitate. Non quasi sint diversæ res, sed quia sunt Oppo-

litæ relationes. Non dicam, quod nonnulli concedant, realem distinctionem esse inter Unitatem, Veritatem & Bonitatem, prout nim. inter se conferuntur, licet ratione entis realiter unum sint.

XXXIX. Et hæc est causa, cur terminus distinctionis *REALIS* ampliandus videatur, ita ut ejus definitio universalis & communis hoc modo ponenda sit & proponenda: *Realis distinctio est, quæ consistit vel inter res & res distinctas, vel inter relationes oppositas, quarum una est incommunicabilis alteri, vel inter modos diversos.* Scilicet tanta est analogia distinctionis realis, ut sine disjunctione nequeat sufficienter describi, sicuti non raro in Metaphysicis terminis adhiberi solent definitiones disjunctivæ.

XL. Porro *Distinctio Realis* est multiplex. Vel enim est *realis tantum*, vel *Essentialis*, vel *Suppositalis*. *TANTUM REALITER DISTINGUUNTUR ILLA*, quæ habent eandem essentiam, & tamen inter se diversitatem realem obtinent. Sic *accidentia ejusdem speciei realiter differunt ratione subjectorum*, quæ distinctio dici solet *subjectiva*. Sic albedo in pariete realiter distat ab albedine chartæ, lactis &c. Sic Sapiencia Petri realiter differt à sapientia Pauli, &c. Sic *individua omnia, quæ sunt ejusdem speciei, prout in pluribus multiplicantur subjectis aut suppositis numero saltem distinctis, differunt realiter, & non essentialiter.* Et sic *persona S. S. Trinitatis distinguuntur realiter tantum*, non verò essentialiter, cum sint unius entis, infiniti relationes subsistentes, reverà distinctæ & tales, quarum una est incommunicabilis alteri.

XLI. *SUBPOSITALIS DISTINCTIO* est illorum, quæ subpositi diversitate distant, sive illa diversa subposita stent sub eadem specie, sive non. Sic Petrus, Paulus, Casparus, Maria differunt subpositaliter. Sic leo, equus, canis, non modo essentialiter & specie differunt, sed etiam diversitate subpositi.

XLII.

XLII. *ESSENTIALIS DISTINCTIO* est illorum, quæ habent simul essentiam diversam, uti sunt illa potissimum quæ specie differunt. Sic homo & leo essentialiter differunt. Sic Sapientia & Scientia, sic Fortitudo & Temperantia essentias habent diversas.

XLIII. Sic se breviter habet distinctio realis. *Distinctio EX NATURA REI* non est tanta, quanta erat realis, ideoque minorem diversitatem importat & majorem identitatem relinquit illorum, quæ ex natura rei saltem (& non realiter) distinguuntur. *Suarez disp. 7. s. 1. n. 16.* bene monet, *dari in rebus creatis aliquam distinctionem actualem & EX NATURA REI ante operationem intellectus, quæ non sit tanta, quanta est inter duas res seu Entitates omnino distinctas. Quæ distinctio, quamvis generali vocabulo possit vocari realis, quia verè est à parte rei, & non per denominationem extrinsecam in intellectu, tamen ad distinguendum illam ab alio, majori distinctione reali, possumus illam appellare, vel DISTINCTIONEM EX NATURA REI, applicando illi tamquam imperfectiori generale nomen: Vel proprius vocari potest distinctio MODALIS, quia versatur semper INTER REM ALIQUAM ET MODUM EJUS.* Ita non immeritò docet ille Princeps sapientum, de appellatione *mediæ* istius distinctionis, quæ est *inter Realem & Rationis puræ* distinctionem.

XLIV. Alii non inscitè *juxta viam Thomæ* ita ponunt: *Distinctio ex natura rei* illa est, quæ Thomistis barbarè dicitur *secundum rationem ratiocinatã*: accipiendo rationem non pro formatione intellectus, sed pro quidditate rei, secundum, quod quidditas est objectum intellectus. *Combach. l. Met. c. 22.*

XLV. Hæc ergò distinctio sumitur *ex diversitate illa, quæ res se objicit intellectui: Non quidem in re ipsa strictè realis & propriè dicta diversitas est, tamen istius distinctionis per rationem surgentis fundamentum est à re, quippe quæ illam ipsam facit, quando intellectui nostro sese contemplandam objicit, non uno modo, sed alio atque alio.* Sic Deus est ens simpliciter

unum & in se nullo modo distinctum: nihilominus quando ab intellectu nostro consideratur, per se quædam se offert distinctio. Aliter enim ut justus, aliter ut æternus, aliter ut infinitus consideratur; quando quidem per illos modos, quoad nos distinctos, diversimodè definitur. aliâ definitione circumscribitur justitia Dei, aliâ æternitas, &c.

XLVI. Non absimili modo & *Suarez. disp. 7. s. 1. n. 6.* distinctionem ex natura rei videtur declarare, quando docet, quod *distinctio rationis ratiocinata sic dicta estimari possit, quia in re ipsa prius existit antequam ratiocinetur, ut quasi ex se ratiocinata dicatur, solumq; requiratur ratio ad illam cognoscendam, non verò ad faciendam, solumq; dicatur rationis & non realis, quia non est tanta, neq; per se tam patens, ut realis, & ideo requirat attentam operationem rationis ad distinguendam illam.* Et mox: *sed explicat à significatione hujus vocis juxta hanc etymologiam talis distinctio non est verè distinctio rationis, sed COINCIDIT CUM DISTINCTIONE EX NATURA REI.* Ita Suarez.

XLVII. Ut ergò distinctio ex natura rei planius perspicatur, breviter distinctionem rationis ratiocinatæ defini-
mus hoc modo: *DISTINCTIO RATIONIS RATIOCI-
NATÆ est, qua fundamentum aliquod in re ipsa habet extra
operationem mentis, si non semper in ipso ente & essentia pro-
pria, tamen omninò semper aliquod reale datur in virtutibus,
operationibus aut effectibus istius entis: unde intellectus occasio-
nem distinguendi derivat, ita tamen ut illam distinctionem non
simpliciter faciat intellectus, sed ex fundamento aliquo reali a-
gnoscat atq; ostendat. e. g. in igne & radiorum solarium calore
distinguuntur vis rarefaciendi & condensandi, liquefaciendi
& indurandi, &c. sed quomodo? non sanè realiter. Non
enim sunt diversæ qualitates, sed una eademq; est qualitas,
nempe calor. Neq; purâ ratione ratiocinante sine funda-
mento in re præexistente: apparent enim unius caloris di-
versi*

versi effectus & operationes aliæ atq; aliæ: Verum *ratione* & *ratio* *cinat* à istæ virtutes distinguuntur. Licet enim sit una qualitas, *calor*, & ita in se non differat, tamen quia in efficacia & virtute præstat idem, ac si esset in se multiplex & compositum quiddam, dum ab ipso plures oriuntur effectus (condensatio, rarefactio, liquefactio, induratio, &c.) inde sumit intellectus occasionem multiplicandi conceptus, & distinguendi ipsam virtutem in calore prout est rarefactiva vel liquefactiva: quæ distinctio dicitur *rationis ratio cinatæ*, quod ratio ad illam apprehendam moveatur à fundamento ex parte rei in effectibus apparente.

XLVIII. Rem omnem quàm facillimè explicat *Dn. Scheiblerus* lib. I. cap. 8. his verbis: *Distinctio rationis ratio cinatæ est, quando ratio ratio cinatur* (uti barbarè loquuntur) *hoc est AD RATIO CINANDUM MOVETUR per fundamentum aliquod ex re sumtum, ubi per fundamentum huius non intelligitur multitudo rerum, quæ supponitur ante hanc distinctionem* (id enim si esset, esset distinctio realis) *sed qualiscunq; occasio ex re sumta ad multiplicandos conceptus. Veluti quod una eademq; res connotat distinctas negationes vel respectus. Unde quia negationes tales negant res realiter distinctas, & respectus significant ad res realiter distinctas, inde ex reali distinctione earum, quæ extra aliquod ens sunt, sumitur occasio, inadæquatè concipiendi rem aliquam: modo cum hac negatione: modo cum alia: modo cum hoc respectu: modo cum alio. Et sic distinguitur Deus ratione à suis attributis. Et similiter ea inter se. Veluti quia immensitas significat essentiam divinam, sed ut carentem finitudine & commensuratione ad aliquod spacium. Immortalitas significat essentiam divinam, sed ut carentem corruptibilitate & sic deinceps in aliis adtributis negativis. Ergo sic fundamentum distinguendæ immortalitatem & immensitatem in Deo sumitur ex reali distinctione mortalitatis & finitudinis, quæ in Deo non sunt. Rursus misericordia significat essentiam*

tiā divīnam, sed quatenus dicitur misereri: justitia significat eandem essentiam, sed quatenus denominatur vel dicitur punire, sumitur qualiscumq; occasio & fundamentum distinguendi misericordiam & justitiam, quæ istos actus respiciunt. Hæc Scheiblerus.

XLIX. Quibus positis & expositis apparet, quod *Distinctio EX NATURA REI* sit in illis, quæ in se quidem quoad rem & essentiam non adeò distinguuntur, idem tamen in virtute & efficacia præstant ac si inter se differrent. Melius *Fonseca lib. 5. Metaph. q. 6. cap. 6. sect. 2.* ait: *Distinctio ex natura rei est, quæ aliquid ab aliquo distinguit præcisà omni operatione intellectus.* Non autem inde statim fit realis propriè dicta, cum ad hanc plura requirantur, nec sufficiat fictio mentis.

L. Observandum porrò est, quod distinctionem ex natura rei faciant triplicem. Est enim vel *Virtualis*, vel *Formalis*, vel *Modalis*. Combach. *Metaph. cap. 22.* Et rectè isti modi distinctionis hùc referuntur, tum quod *ferè coincidunt cum distinctione rationis ratiocinata, & ejus, quæ dicitur ex natura rei*; tum quod neq; propriè reales sint, neq; propriè Rationis distinctiones dici queant, sed medio modo se habent, uti jam ante innotuit de distinctione ex natura rei.

LI. *VIRTUALIS distinctio* est, quando id, quod habet talem distinctionem, *in se prorsus non habet aliquid, ut rem & rem, adeoq; quoad rem planè est indistinctum ens & una res, at tamen virtualiter seu eminenter continet plures realitates quasi, aut respectus plures, & sic diversitates.* Ex mente Scoti qui realitatem distinguit ab entitate, ita ut illa sit quævis conceptibilitas non ficta ab intellectu. Sic anima & intellectus differunt virtualiter juxta Scotistas (ex illâ hypothesi, quod facultates animæ non differant realiter ab ipsa, quam nos suo loco relinquemus) non ponendo rem & rem aliam, sed unius rei quasi duas realitates. Est enim emanans quasi ad intellectionem intellectus, & distinctio non est à parte animæ, sed à parte

à parte intellectus, dicendo: *Anima formaliter non est intellectus*. Ita Combach. d. l. ex mente Scoti. Melius nos dicimus, quod *virtualiter distinguantur adtributa Dei*. Item vis indurativa, liquefactiva in calore, ut è supra dictis constare poterit.

LII. *Distinctio FORMALIS* dicitur, quando *una res continet duas realitates formaliter extra se invicem positas, ac si essent duæ res, licet in hoc subjecto per identitatem ista realitates sint una res*. Sic distinguuntur *unitivè contenta*, ut vocat subtilis. D, uns in 1. dist. 15. §. Sed quia hæc via. è Dionysio 5. de divin. nom. Sunt autem unitivè contenta 1. *essentialiter subordinata*, ut homo & animal, quæ formaliter differunt, quia aliud formale est animalis, & aliud hominis: res tamen una est. Non enim per aliam rem homo est homo, & per aliam rem animal, sed per aliam atq; aliam realitatem & relationem unius rei. 2. *Passiones essentialiter subordinata includentes*. Sic affectiones entis dicuntur unitivè contenta in ente, & ab ipso non distinguuntur, nisi formaliter.

LIII. *MODALIS distinctio* est, quæ *versatur inter rem & modum ejus*, sive modus propriè dicatur, sive saltem per proportionem ita appelletur. Sic *pugnus & palma* distinguuntur à manu modaliter, quia sunt modi ejus, neq; dicunt entitatem propriam de se, quâ realiter distent à manu, sed entitatem ipsius manus dicunt, prout est contracta vel dilatata. In proportione dici potest, quod *essentia & existentia* etiam differant modaliter; si nimirum existentia *in creaturis* concipiatur instar modi, quæ nec ipsa intrinsecus dicit formalem rationem de se, aliam ab ea, cujus est modus. Est enim ipsius essentia intrinseca ratio, denotans quod revera fit. Jam verò per quod quid revera est, essentia est. Nihilominus *ut modus considerari potest*, quoniam essentia abstrahitur ab illa actualitate, quam revera ad esse, & in suo esse requirit. Et hæc Modalis distinctionis acceptio est primaria & propria.

LIV. Deinde huc referri solent distinctiones, quæ ver-

C

santur

Tantur inter modos & modos, prout scilicet abstractivè & in se sumuntur, non concretivè: quomodo modaliter distinguuntur *subsistentia* & *inherentia*. Quod quidem concedi potest ob varium loquendi modum, quem hîc in usu alio atq; alio comperimus: inprimis quando modi comparantur tantum prout sunt in eadem re: tamen animadvertendum est sedulo, ne ita nimis coarctetur realis distinctio, quasi illa nequiquam esse queat inter modos obpositos, itemq; ne nimis dilatetur *distinctio Modalis*. Hæc enim propriè est *unius ejusdemq; rei à se per modum alium atq; alium*, quomodo idem motus distet à se, prout est velox vel celer; item calor à se differt modaliter, prout est fervidus vel tepidus. Non verò primariò modalis distinctio est *inter modos ipsos*. Hi enim in se sumti involvunt *essentiam*, & sic ut *αναλογίαν* dicuntur *realiter distinguui*, ut supra monuimus. Confer Dn. Scheib. lib. 1. cap. 8.

L V. Tandem succedit *DISTINCTIO RATIONIS* quæ *formaliter & actualiter non est in rebus*, quæ sic distinctæ *denominantur prout in se existunt*; sed duntaxat prout *substant conceptibus nostris*, & ab illis *denominationem aliquam accipiunt*. Et sic solâ ratione distinguuntur, quando in re ipsa, nullum est fundamentum distinctionis, sed tantum est distinctio à ratione concepta, & ab illa circa rem conficta: ut quando *idem sibi ipsi dicitur idem*, ibi mens unum concipit, ut duo distincta, quæ habeant identitatem: sed illa duo distincta *saltem per rationem ita distinguuntur*, cum ex parte rei sit unum ens.

L VI. Rectè ergo ita definitur: *Distinctio rationis est distinctio facta ab operatione mentis*. Sic dextrum & sinistrum distinguuntur in columna per solam rationem & operationem mentis. Sic quando dico: *Homo est homo*, ibi *homo*, prout est *subjectum*, per operationem mentis *distinguitur à se*, prout est *predicatum*; plura qui desiderat, legere poterit *Exerc.*

erc. & part. Dn. Jac. Mart. Dn. Scheib. lib. 1. Metaph. cap. 8. Suarez disp. 7. s. 1. Fons. 5. Metaph. cap. 6. & seqq.

LVII. Hucusq; fuit distinctio sequitur **O B P O S I T I O**. Nam & hæc non immeritò ad diversitatem refertur. Etenim *omne diversum vel est sine pugna vel est conjunctum cum pugna. Illud simpliciter appellatur diversum, ens aliud, res diversa, ens distinctum & differens, species diversa, essentia diversa, si- ve sint entia separata, adeoq; disparata, si-ve unita & compli- cata in uno communi subjecto vel subposito. Sic Sapientia, Temperantia, albedo, &c. sunt quidem diversa entia diver- sãq; species, sed sine pugna, & ita in aliis.*

LVIII. Entia diversa *cum pugna* dicuntur in specie **O B P O S I T A**, quod sibi obponantur & repugnent: Unde ex di- versitate provenit *Obpositio entium, cujus formalis ratio con- sistit in pugna.*

LIX. Obpositio enim nihil aliud est, quàm repugnan- tia aliquorum non permittentium se simul & scmel in uno subjecto respectu ejusdem. Vel ita breviter: *Obpositio est in- composibilitas simul existendi in eodem secundum idem.*

LX. Unde **O B P O S I T A** dicuntur, *quæ in eodem, secun- dum idem, eodem tempore circa unam eandemq; rem esse non possunt.* Scilicet sunt pugnantis naturæ. Ergo se mutuò non compatiuntur. Ergo se mutuò tollunt è communi subjecto, cui diversis temporibus inesse apta nata sunt.

LXI. Sunt verò *Obposita quadruplicia: 1. Relativa, 2. Contraria, 3. Privativa, & 4. Contradictoria*, quorum poste- riora semper habent majorem & fortiorem repugnantiam prioribus, ut illud ex Logicis notum est. Confer instit. Log. Dn. Jac. Mart. Enchrid. log. Bartholini. Bertium, &c.

LXII. Deniq; *de Subordinatione & Subalternatione*, quæ similiter identitatem & diversitatem insequi videntur, ita breviter habe: **SUBORDINATIO** est, *quando inferius subji- citur superiori, vel singulare universali, vel minus universale,*
C 2 magis

magis universali. Estq; vel *Intentionalis* vel *Realis.* *ILLA* est inter conceptus superiores & inferiores, latiores & angustiores, utpote inter genus & speciem. Sed *REALIS* est inter rem & rem diversam. Sic Anatomici corpus humanum dividunt in triplicem ventrem, supremum sc. medium & infimum. Sic Pharmacop. subordinatur medico, Elector Imperatori, &c.

LXIII. *SUBALTERNATIO* dicitur *contractio objecti alicujus per differentiam extrinsecam & accidentalem*: Ubi una scientia inferior ita dependet à superiore ceu subalternante, ut ex illa tum objectum suum desumat, tum quoq; omnem vim probandi & demonstrandi. Sic *Optica subalternatur Geometria: Musica subalternatur Arithmetica.*

LXIV. Conditiones subalternationis à diversis autoribus diversimodè ponuntur. Vide *Suarez disp. 1. Metaph. sect. 5. Colleg. Conimbr. 1 post. cap. 10. q. 2. a. 1. Perer. lib. 1. de Phil. cap. 13. 14. 15. Zabarell. lib. de tribus precog. cap. 12. & interpp. Arist. ad 1 post. cap. 7. text. 20. & 23. item ad cap. 10. text. 30.* Nos breviter ita: Requiritur ad subalternationem 1. *duæ distinctæ scientiæ.* 2. *Subordinatæ.* Sit una superior subalternans, altera inferior subalternata. 3. *Objectum inferioris contineatur sub objecto superioris subalternantis.* 4. *Contrahatur objectum subalternantis differentiâ aliquâ accidentalis,* & 5. *Hoc contrahens in subalternato consideretur juxta conditionem contracti.* Et sic verè subalternatur Musica Arithmeticæ. Ut enim hæc considerat numerum, sic etiam illa, sed numerum quatenus est sonorus. Hæc hac vice quâ theses.

Usus & Abusus hujus Disputationis.

Primò in Logicis prodest *ad prædicationes affirmativas & negativas fundamentaliter dijudicandas.* Ut enim ex identitate rerum derivatur *Affirmatio* sive compositio Logica: sic in *Diversitate & Obpositione* radicatur fundamentum *Negativæ enunciationis.* Prodest *ad Obpositionem Enunciationum,* *ad contradictorias propositiones ritè constituendas,* *ad equipollentiam.*

In To-

In *Topicâ* Aristotelis immensum prodest ad *Differentiarum* inventionem, ad *similium* considerationem, ad ipsos locos Dialecticos bene dignoscendos; in primis ad *problema* definitionis rectè probandum. Confer *lib. 7. Top. Arist. cap. 1. & seqq.* Hinc usus presentis disputationis sese diffundit per omnes *scientias & artes*, uti non modò ex dictis constat, sed insuper ex illo communi dicterio: *qui bene distinguit, bene docet.* Hic sc. ponuntur universales modi distinctionum omnium, earumq; fundamenta, secundum quæ omnem veram distinctionem in re ipsa fundatam convenire oportet. Verùm nolo Soli lumen addere: Scilicet in confesso est, quod nulla pars Philosophiæ, imò nulla periodus alicujus litteraturæ carere possit hæc doctrinâ de distinctionum & obpositionum modis, ut reliqua non nihil taceam. Quod si *Theologicas Meditationes* consideres, similiter & ibi ubiq; irradiabit presentis disputationis splendor. Multum disceptant sapientes *quomodo distinguantur attributa Dei, tum inter sese, tum ab Essentia divina? Num subsistentia differat ab Essentia Dei? Quomodo potentia in Deo distinguatur à scientia & voluntate.* Quæ dubia & multa alia nequeunt dextrè decidi & explicari sine cognitione accurata terminorum presentium. Et quid? in summo mysterio Trinitatis quaritur *de distinctione Personarum divinarum.* Damascenus ait eas *ratione distingu*, ut refert Scheibl. in epist. dedicat. operis *Metaphysici.* Alii *realiter*; alii *modaliter*, inter quos princeps est Keckerm. At quid sit *ratione*, vel *modaliter* vel *realiter* distingu, aliunde non, quàm ex hisce *Metaphysicis* fontibus derivari potest. Ut ergò hîc sine jactura veritatis verferis, & eò certius cum Orthodoxa Ecclesia statuere possis, *realiter distingu* *Personas divinitatis à se invicem*, simulq; aliorum opiniones eludere queas, omninò necessarium erit, hîc anno assè accuratius naturam varietatemq; *Distinctionum Realis, Modalis & Rationis.* In primis cum *Photiniani* nimio perè studeant *deprava-*

Vare istos terminos, eorumq; abusu multis modis satagant decipere incautiores. Goslavius contra Keckerm. part. 1. disputat personas Deitatis non esse ejusdem essentiae singularis, eò quod realiter distinguantur, uti ex loco Matth. 3. colligitur, quia separantur à se invicem. Obponuntur verò, inquit, contradictoriè, realiter distinguuntur & eadem esse essentiam numero. Verùm è thesibus innotuit inania illa esse sophismata. Et primò falsum est in universali sensu distinctionis Realis, quod realiter distinguuntur obponatur eidem essentiam numericam. Licet enim illud concedi possit, quando Distinctio realis est inter res & res diversas, absolutè tamen id non est, neq; simpliciter verum de omni distinctione reali, ut ex thesi 38. satis superq; constat. Scilicet modi oppositi & diversi etiam in uno subjecto, differre dicuntur realiter, & tamen eandem entitatem singularis essentiae intimè includunt. Unio animæ, & ejus dependentia universalis à primâ causa differunt realiter, juxta analogiam supra notatam, & tamen sunt ejusdem essentiae singularis. Deinde alterum, quod dicit ipse, suo modo sensuq; verò conceditur, nempe quæ à se invicem separantur (realiter puta, Physicè & mutuo) ea differunt realiter. Sed applicatio illa ad personas Deitatis est admodum Sophistica. Dicit in loco Matth. 3. separari Patrem à Filio, & Spiritum sanctum ab utroq;. Ergò non sint ejusdem essentiae singularis. Putat quasi loco separantur, adeoq; per proprias essentias disjungantur Pater clamans è cœlo, Filius Dei stans in Jordane, & Spiritus S. descendens in columba. Sed fallit Sophistica. Non enim illa separatio essentiae est aut localis; Verùm externis signis distinctis se manifestant distinctæ hypostases, ita ut diversis apparendi modis à se invicem discernantur. Jam quæ est consequentia? ibi apparent diversæ figuræ, E. sunt diversæ & separatæ essentiae. An nescit hæreticus, quod à conditione externarum figurarum ad statum & rationem illorum, quorum externa figuræ sunt notificativa non valeat consequentia? Sunt enim

enim istæ figuræ extra essentiam signatorum, ideoq; illarum separatio non statim infert separationem rerum internarum essentialem. *Sufficit aliqualis distinctio signatorum.* Imò fieri potest, ut unum idemq; numero Ens diversimodè per distinctas apparitiones suam essentiam manifestet. e. g. *Sanctas* in diversis partibus humani corporis *se manifestat* diversis signis *rubore* in facie, *pulsu* in arteriis, *gressu* in pedibus, *hilaritate* in oculis, &c. Manet itaq; Essentiam Dei esse numero unam & eandem, licet in illa dentur distinctæ realiter hypostases, & has esse unius essentiæ singularis, licet in apparitionibus distinctis se manifestet, ut ita illa distincta repræsentatio apud Matth. cap. 3. saltem inportet distinctionem personarum, non essentialem inter personas Deitatis.

Porro abutuntur hâc doctrinâ, dum omnem realem distinctionem putant unâ esse essentialem, quod falsum esse apertè constat è thesibus. Plura adderem, nisi res hæc jam ante satis conspicua constaret.

A X I O M A T A.

1. *Quæ in uno tertio conveniunt inter se conveniunt.* Vel ut alii loquuntur, *Quæ in uno tertio sunt eadem inter se sunt eadem.* Vulgare hoc est & satis tritum, & nisi rectè intelligatur, multorum errorum erit origo. Variè autem à variis explicatur. Acutissimi Viri dicunt, loqui illud axioma de uno tertio *incommunicabili.* Confer lib. 2. de T. Elohim Dn. Jac. Mart. item de uno tertio *re & ratione eodem.* Item de uno tertio *singulari singulariter accepto.* Sensus ergò simplicissimus hic est: *Inter se conveniunt illa, quæ in uno tertio singulari singulariter accepto, hoc est, eadem planè & univoca singularis ratione conveniunt.* Quæ cautela ubi adservatur, facile corruent argutiæ Photinianorum. Ita autem solent argumentari:

Hæc essentia divina est Pater

Hæc essentia divina est Filius. E.

Filius est Pater.

Sed

Sed omiſſa conclusionis informatione, de qua dubitant alii
num ita rectè inferatur (cum videatur hæc emergere: E. qui-
dam, qui eſt Filius, eſt Pater, quod ratione iſtius tertii, ex quo
inferetur conclusio, concedi poſſet) ex limitatione, data ad
Maximam illam communem, liquidò apparet illius Syllogi-
ſmi Photiniani falſitas. Licet enim eſſentia divina ſingularis
ſit, non tamen eodem ſingularitatis modo ſive univocè ſumitur
in utrâq; præmiſſarum. Non enim abſolutè ſumitur, ſed rela-
tè: non ſimpliciter in unitate individuali eſſentiali, ſed in u-
nitate individuali personali. Ita ut in *Majore* ſignificet eſſenti-
am ad Patris perſonam relatam. Itemq; in *Minore* eandem ſi-
gnificet ad Filii perſonam determinatam: qui duplex reſpe-
ctus facit duplicem terminum, & ſic fiunt 4. termini in illo
Photinianorum Syllogiſmo. Nam *Hæc eſſentia, ut notat Pa-
trem*, non eſt ἀπλῶς idem, atq; *hæc Eſſentia, ut notat Filium*.
Datur enim diſcrimen personale. Eodem modo poſſem ar-
gumentari:

Hæc eſſentia eſt Petrus

Hæc eſſentia eſt Paulus. E.

Paulus eſt Petrus.

Ut enim hîc in ideâ, ita ibi in re eſt eadem eſſentia. Ve-
rum tamen, ut hîc personalis diſtinctio diſcrimen facit in ipſa
eſſentia, ita etiam ibi, licet non eodem modo, quippe qui ibi eſt
myſticus & inperſcrutabilis, hîc Phyiſicus & oculis ſenſibusq;
notabilis. *Dn. Jac. Mart. in prælect. Metaph. publ. lib. 2. cap. 13.*

2. *Idem non poteſt eſſe ſimile & diſſimile alicui ſecundum
idem.* Sic homo eſt ſimilis equo quoad animalitatem. E. ſe-
cundum hanc non diſtinguitur ab equo.

3. *Idem & Diverſum propriè ſunt in ſubſtantia, tranſumpti-
vè etiam in cateris generibus.* Thomas 10. *Metaph. lib. 4. t. 10.*
Huc ſpectat illud: *Identitas eſt unitas in ſubſtantia.* Alex. de,
Ales 4. *Metaph. text. 3.* Unde docet idem 5. *Metaph. t. 16.* quòd
identitas duplex habeat fundamentum, unum remotum, ali-
ud pro-

ud propinquum. Illud est substantia, quia proprie non reperitur identitas nisi in substantia, vel in illa, quæ habet modum substantiæ: Hoc autem non sufficit, sed oportet, ut sit unitas in substantia; idcò unitas est fundamentum propinquum identitatis.

4. *Idem manens idem semper natum est facere idem.* Thom. in 2. de gen. & corrupt. lib. 9. t. 52. Baptista in semin. phil. tom. 1. pag. 622. scil. effectum sibi proportionatum producere. Sic passer non generat aquilam.

5. *Idem & diversum non opponuntur ut contradictoria, sed ut contraria,* quæ non verificantur nisi de Ente, & idcò diversum non dicitur de non entibus. Thom. 10. Metaph. lib. 4. text. 10.

6. *De iisdem ut iisdem idem ferendum est iudicium.* Nam uti res est, ita mente concipiatur; ut ab hac est concepta, ita tandem de ea feratur iudicium, aliàs erit fallax & nullum.

7. *Qui benè distinguit, benè docet:* quia ordinem observat. E. evitat confusionem, quam aliàs introducit ordinis & distinctionis neglectus.

QUÆSTIONES,

I,

Quenam sint signa genuina Distinctionis Realis?

Valde hîc variant autores. Quidam pro nota Realis distinctionis ponunt *distinctionem existentiarum*: quidam ex *diversa corruptione & generatione*, quidam exinde derivant diversitatem rerum, quando *unum se habet ut producens, alterum ut productum*. Quas notas recenset *Suarus disp. 7. sect. 2.* Confer itidem *Fonsecam lib. 5. Metaph. cap. 6.* Alii ita putant: Tum datur distinctio Realis quando intercedit. 1. Vel *alietas producentis & producti*. 2. Vel *alietas causæ & effectus*. Vel 3. *Alietas suppositorum*, ut in hoc lapide, hoc ligno. Hujus conditionis duo sunt gradus, primò quando *dantur alia subposita*, deinde si *duo in divisis existant subpositis, aut saltem queant*

D

per

per divinam potentiam existere distinctim. Sic Grammatica & Logica: item Materia & Forma in eodem composito distinguuntur realiter, quia possunt divinâ virtute separatim existere in alio subposito. Rathman & Schuman. disp. Metaph. 5. memb. 2. Nos hâc vice duo indicia ad realem distinctionem cognoscendam apprimè facientia notamus, eaq; EX SEPARATIONE MUTUA desumpta. Unum est de separatione tantum, *quoad realem unionem*, id est, si utrumq; simul & actu queat conservari in rerum natura absq; unione reali inter se. Alterum est de separatione mutua, *quoad existentiam*, id est, quod unum possit sine alio conservari, inprimis *per se immediate & sine ordine seu connexionem necessariâ cum aliquo tertio.* Intelligas verò separationem MUTUAM, ita ut ex æquo utrumq; separari possit ab alio, & realiter esse sine alio. Quæ enim ita se habent, ut unum esse possit sine alio, illorum utrumq; erit vera res vel vera realitas, extra se mutuò formaliter constituta, secum adferens veram entitatem, quæ conservari potest sine altera. Qua de re vide prolixè disputantem Suarium disp. Metaph. 7. sect. 2. Esto igitur hæc regula: Quæ essentias habent separatas vel mutuò separabiles, illa distinguantur realiter. Non verò licet è converso inferre, quod realiter distincta, statim sint separabilia. Notum enim, quod propositio universalis affirmativa non convertatur simpliciter, sed per accidens.

II.

An detur distinctio Media inter Realem & Rationis?

Distinctè hîc respondendum est, cum *terminus Realis distinctionis* diversimodè capiatur, uti notum est ex thesibus. *Primò* enim in genere distinctio realis dicitur illa, *quæ secundum rem vel ex parte rei est in re ipsa immediate, extra animum & ante intellectus operationem*, & sic non datur Media distinctio inter Realem & Rationis. Ita enim omnia illa distinguui realiter dicuntur, quæ non saltem ratione vel conce-

ptu

ptu mentis differunt. Hoc sensu *Scheibl. lib. 1. Metaph. cap. 8. tit. 5.* disputat de Reali distinctione, indeq; juxta vim nominis & appellationis commodæ negat dari Mediam distinctionem. Deinde verò Realis distinctio *specialius & quasi naturalis* & *quasi naturalis* sumitur pro tali diversitate, *quæ potissimo & nobilissimo modo est Realis*, quomodo supra th. 35. & seqq. explicata est. Sic *Suarez & alii vetustiores auctores* loquuntur, & docent de reali distinctione. Quo sensu omninò dicendum est, quod *Media detur distinctio inter Realem & Rationis*: Ut supra ex Suario probavimus.

III.

Quenam propriè sit distinctio Modalis?

Hic primum *ex Suario disp. 7. s. 1. n. 17.* supponendum est, in rebus creatis præter entitates earum quasi substantiales vel radicales inveniri quosdam modos reales, qui & sunt aliquid positivum, & afficiunt ipsas entitates per seipso dando illis aliquid, quod est extra essentiam totam ut individuum & existentem in rerum naturâ. E. g. in omni creaturâ duo considerari possunt, unum est *entitas ipsius creature*: aliud est *dependentia*, quatenus creatura præexigit aliud, à quo in esse suo sustentetur. Prius simpliciter appellatur *res seu esse creature*, includens quidquid est de essentiâ individua ejus naturæ. Posterius verò (dependentia) dicitur *modus creature*, quia saltem afficit essentiam creaturæ, & quasi ultimò determinat statum atq; rationem existendi ejus, non verò addit illi propriam entitatem novam, sed solum modificat præexistentem. Planius hoc fit *ex dependentia luminis à sole*. Pendet lumen à sole, ut vel ex visu est notissimum. Quæ dependentia aliquid quidem est præter lumen & solem: quippe intelligi potest lumen manere, & tamen non pendere à sole, ut si Deus nollet cum sole concurrere ad producendum aut conservandum lumen, sed suâ sola virtute lumen conservaret; Verùm illa dependentia luminis non est res seu entitas nova.

valu-

va lumini superaddita, & ab ipso prorsus distincta. Etenim, per illam dependentiam influit causa tanquam per viam in effectum seu terminum: Unde non potest esse res omninò distincta ab illo. Adde, quod aliàs saltem de potentia absolutâ separari possit à lumine, qui non est intelligibile. Itaq; dicendum, quod illa dependentia sit modus quidâ ipsius luminis. Sic inhærentia est modus accidentium, quo uniuntur substantiæ, cui inhærent. Tales modi plures sunt in creaturâ, utpote *præsentia*, quâ alterum creatum alteri est præsens, *Suppositivitas* & *personalitas nature*, unio formæ substantialis ad materiam, motus & quævis actio respectu sui termini, gradus qualitatis, & sic deinceps. Causa verò, cur in creaturis dentur ejusmodi modi, videtur esse earum imperfectio, quod sint dependentes, compositæ, vel limitatæ vel mutabiles secundum varios status præsentia, unionis, aut terminationis. Ut d. l. disputat Suarez, Hisce præsuppositis, nunc quomodo modi distinguantur à rebus modificatis attendendum erit. Ubi primum in confessio est, quod *modus non solâ ratione differat ab entitate, quâ modificat*. Etenim in reipsâ est separabilis, ita ut res carere possit suo modo. E. g. Formæ modus est, quod est unita materiæ. Hanc unionem potest amittere, ipsâ manente. Sic etiam qualitas, utpote calor, potest in suis gradibus remitti, & nihilominus in suâ specie manet.

Dicendum ergò est, quod *modus ex naturâ rei distinguatur actualiter à re, cuius est modus*. Unde & nonnulli illam distinctionem vocant *realem*, quia in rebus istis reperitur: Sed non propriè distinguitur hic modus ab eo, cuius est modus, tanquam res à re. Distinguetur ergo minori distinctione, quæ *propriissimè appellatur MODALIS*, ut Suarez docet d. l. Apparet ergò ex his omnibus, quid propriè sit distinctio Modalis. Concludimus proinde cum *Dn. Scheibl. lib. 1. Metaph. cap. 8.* Modalis distinctio est, qua distinguitur res & ejus modus: differtq; in eo à distinctione reali, specialiter sic dictâ, quod per eam differunt res & res, non res & modus.

F I N I S.

AB: 67 $\frac{5}{c, 10}$


ULB Halle

003 357 104

3







Farbkarte #13

B.I.G.



15

O N U M
 ICARUM
 I A R T A ,
 I V E R S O ,
 ONE, OPPO-
 DINATIONE
 ATIONE,
 A.
tatis Philosophica
 ACADEMIA
 I D I O
 S C H A R F I I ,
 Facult. Philosoph.
debit
ffeman / Frisius.
horis matut.
more.
 R G Æ ,
 TIANI THAM,
 gr.
 XXIII.

